

Q. D. B. V.

MESSIAS

NAZARENUS VOCANDUS.

DE HOC ARGUMENTO

occasione dicti Matth. II. 23.

PRÆSIDE

JOHANNES ADAMO
OSIANDRO,

GRÆCÆ LINGUÆ PROF. PUBL. ORDIN.
FACULT. PHILOSOPH. DECANO, CONTUBERNII &
h. t. UNIVERSITATIS RECTORE,

HORIS & LOCO CONSUETIS

DIE JULII A. MDCCLV.

PRO LAUREA SECUNDA

LEGITIME OBTINENDA DISPUTABUNT

GUIL. CHRISTOPHORUS FLEISCHMANN,
OWENSIS.

CHRISTIANUS FRIDERICUS OTTO,
KIRCHEMIO - DETTINGENSIS.

PHILOSOPHIÆ CANDIDATI & SERENISSIMI STIPENDIARII.

TUBINGÆ, LITERIS VIDUÆ ROEBELIÆ.

diss. A
4

Coll. d. J. 207(4)

MESSIAS

NAZARENUS

DE HOC ARGUMENTO

disputatio

PRÆFATIO

JOHANNES ADAMUS

OSIANDER

GRÆCÆ LINGUÆ PROF. PUBL. ORDIN.



BOHNENSTRASSE

1771

PRO LAUREA RECEIVED

ALMA MATER UNIVERSITATIS

GUIL. CHRYSO. HORUS FL. IUREMAGNI

1771

CHRISTIANUS FRIDER. RITTER

RICHTERO - BETTENDORF

LEIPZIGIENSIS UNIVERSITATIS

ALMA MATER UNIVERSITATIS

1771

77



§. I.

Matthæus historiæ suæ evangelicæ capite secundo, quatuor profert allegationes ex Veteri Testamento. Prima, quæ commatibus quinto & sexto exstat, petita est ex Michæ C. V. 1. Secunda, quæ versu decimo quinto habetur, legitur Hoseæ C. XI. 1. Tertia, quam versiculis decimo septimo & decimo octavo relatam deprehendimus, inveniri potest Jerem. XXXI. 15. Quarta, quæ præsentis dissertationis argumentum subministrat, & versu capitis ultimo, qui vicesimus tertius est, continetur, nullibi in scriptis Prophetarum occurrit, etiamsi Prophetæ testimonium de Jesu Nazareno vocando dedisse à Matthæo perhibeantur. Singulæ hæ allegationes singularem deprecantur attentionem. Nam prima, quæ Bethlehemum, locum nativitatis Christi ex Virgine Maria describit, mirum quantum recedere 1) videtur à verbis Prophetæ, qui tamen eodem Spiritu ductus, quo Matthæus, vaticinatus est de Messia. Secunda sistit reditum Christi ex Ægypto, cum tamen Matthæus ea fugam Christi in Ægyptum, & commorationem ejus in Ægypto adstruat, si & cætera 2) in Hosea omnia essent paria. Tertia producitur in ordine ad infanticidium Bethlehemiticum, sanguinolentiæ inhumanæ testimonium

A 2

monium

1) Confer Viri post sua fata venerandi, D.D. J.R. OSIANDRI diss. de Messia Bethlehemæ nascituro, in qua imprimis harmonia Mich. V. 1. & Matth. II. 6. ostenditur p. 5. seqq.

2) Adde MARCKII Commentar. in Prophetas Minores f. 161. sq.

monium, quod Herodes Magnus posteritati cum summa nominis sui ignominia reliquit, licet in vaticinio Jeremiæ 3) nec vola nec vestigium de eo deprehendi posse videatur. Omnia autem hæc dicta difficultate sua superat allegatio quarta, quam præ manibus habebimus, quippe quæ afferit, non per unum duntaxat Prophetam, sed per Prophetas in plurium numero locum educationis Messia prænunciatum fuisse, urbem 4) scilicet Nazareth, quæ silentio tam prætermitti haud poterat, quam reliquæ circumstantiæ 5) Messiam concernentes prætermitti à Prophetis haud debebant; neque tamen vel in unius Prophetæ scripto, multoque minus in plurium Prophetarum scriptis de Messia Nazareno vocando aliquid legitur; etiamsi codicem Prophetarum, etiam in sensu 6) latiore talium, centies imo millies volveris atque revolveris. Factum hinc est, ut de loco nostro, quæ verba sunt 7) FECHTII, tot propemodum sint sententiæ, quot ejus sunt 8) interpretes. Nobis etiam, qui

3) Vid. HAMMONDI Adnotationes in N. T. f. II.

4) Egregia sunt, quæ de oppido Nazareth ex RELANDI Palæstina, atque ADRICHOMII Theatro terræ sanctæ collegit KIESLINGIUS in Commentat. de Jesu Nazareno ingrata patria exsule ad Luc. IV. 28. 29. 30. p. 5. sq. Cum illis conferri possunt LIGHTFOOTI Horæ Hebr. & Talmud. in omnes Evangelistas p. 918. sq. & B. HILLERI Onom. S. p. 121. 211. 893.

5) Quales sunt de duabus ipsius in una persona naturis, divina & humana; de officio mediatorio triplici, sacerdotali, prophetico & regio; de statu tam exinanitionis, quam exaltationis, & omnibus utriusque status gradibus; de beneficio redemptionis, cujus magnitudo omnem eloquentiam humanam superat. Joh. V. 39. Act. X. 43. Rom. X. 4.

6) Pertinent huc Prophetæ ante legem, & certo respectu etiam Prophetæ sub lege, qui fuerunt in deserto, & in Canaan, & ante captivitatem Babylonicam, de quibus præclare scripsit WITSIUS Miscell. S. T. I. p. 161. seqq. & ex nostris CARPZOVIVS Introd. ad libros canonicos V. T. P. III. p. 18. seqq.

7) Lektion. in Syllogen p. 283.

8) Eos recensuit novissimè MICHAEL LILIENTHAL im Biblischen Archivario der Heiligen Schrift Neuen Testaments p. 22. Quibus tamen plures adhuc facili opera addi possent.

qui *δυσνόητα* Scripturæ S. libenter excutimus, dignissima visa est allegatio, quam peculiari dissertatione, sine omni partium 9) studio, enuclearem, non eo scopo, ut prolixius, quam par est, in expositione dicti nostri versemur, sed ut ea demus, quæ specimini perfectum publico, quod Præstantissimi Domini Candidati Respondentes, sponte sua excitati, Superioribus exhibere volunt, sufficere possint. Ipse Jesus Nazarenus institutum nostrum sibi habeat quam commendatissimum!

§. II.

Josephus, Mariæ maritus, & Pater Christi putatitius, cui apparitiones divinæ 10) plures jam contigerant, redux factus cum filio & uxore ex Ægypto, idemque hospes in terra Israelitica, casu nequaquam fortuito Galilæam petiit; sed præcepto divino specialissimo monitus, habitavit cum illis in urbe Nazareth, ut dictum Prophetarum de Jesu vocando Nazareno adimpleretur. Audiamus Matthæum ipsum, qui C. II. ψ. 23. de Josepho ista refert: *καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ· ὅπως πληρωθῆ τὸ ρηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, 11) ὅτι Ναζωραῖος 12) κληθήσεται.*

§. III.

Ab initio statim detestamur impietatem WHISTONI, qui in tentamine 13) restituendi genuinum Veteris Testamenti textum, & vindicandi citationes inde in Novo Testamento factas, p. 104. ex dicto nostro, in nullo Prophetarum exstante, corruptionem textus hebræi sub initium seculi II. à Judæis factam, aperto Marte propugnat, atque sic viam sibi sternit ad hypothesin, alibi jam atro lapil-

A 3

lo

9) Lectu perquam digna est C. B. MICHAELIS diss. de studio partium à sacrarum literarum interpretatione removenda.

10) Matth. I. 20. II. 13. 19.

11) Johann. I. 46.

12) Matth. XXVI. 71. Marc. X. 47. Luc. XVIII. 37. XXIV. 19. Jo. XVIII. 5. 7. XIX. 19. Act. II. 22. III. 6. IV. 10. VI. 14. XXI. 8. XXVI. 9. Conf. Act. XXIV. 5.

13) Adde J. G. CARPZOVII Vindicias Criticas Codicis Sacri Hebræi Whistono oppositas p. 80. & 100.

lo 14) à nobis notatam, quod Constitutiones Apostolicæ sint liber N. T. canonicus sacratissimus. Hic Neo-Arianus negat principia, adeoque indignus est, quocum disputationis serra reciprocetur; nec recogitavit, quod Matthæus loquatur de dicto Prophetarum, non de scripto Prophetarum, quæ duo probe ab invicem discerni debent; adeoque ab ipso non debuisset odiose hoc exemplum in medium produci, quia institutum vergere debebat in præjudicium codicis Veteris Testamenti scripto exarati.

§. IV.

Fuerunt, 15) qui cum CHRYSOSTOMO 16) nodum hunc ita solvere tentarunt, ut affirmaverint, Prophetas à Matthæo citatos jam non extare amplius, sed periisse, sicut multa alia veterum Prophetarum scripta perierint, vel propter Judæorum incuriam, vel propter Barbarorum in Judæam impressiones. Dabimus verba Patris ecclesiæ ex græco idiomate in latinum versa, qui post allatam Matthæi allegationem ait: "Quis autem Prophetarum hoc dixit? Noli curiosus esse, aut operosius inquirere. Multa enim disperiere Prophetica scripta, idque ex Paralipomenorum lectione facile aliquis didicerit. Negligentes enim & ad impietatem frequenter prolapsi, alia quidem perire passi sunt, alia data opera ipsi cremaverunt atque aboleverunt. Atque hoc quidem Jeremias factum dicit, illud vero quarti Regnorum libri autor, ægre demum Devteronomium alicubi defossam atque absconditum repertum esse testatus. Si vero barbaro hoste non oppressi ita libros suos neglexerunt, quanto magis Barbaris supervenientibus factum id esse constabit."

§. V.

Quodsi hæc sententia intelligat libros V. T. canonicos, ferri ea prorsus nescit, quippe quæ integritati codicis hebraici mirum quantum præjudicat. Si vero CHRYSOSTOMUS, & qui cum eo faciunt,

14) In Dissertatione de allegatione Jeremiæ à Matthæo C. XXVII. 9. 10. facta, p. 8.

15) THEOPHYLACTUS, EUTHYMIUS, MUSCULUS, A. MORUS.

16) Homil. in Matthæum ad h. l.

eiunt, intellexerint libros *ἑσπυλυσσῆς*, poterit eorum expositio ab eo admitti, qui tutiorem ex hac difficultate elucrandi viam haud calcaverit. Nam quis ignorat, nostrates curatè distinguere, inter libros canonicos 17), & libros divinitus inspiratos; quorum illi supersunt omnes, horum vero haud paucos periisse, ferè extra 18) dubium est? Quin & video, ne quidem libros 19) deperditos, qui subinde in medium proferuntur, ab omnibus pro sacris haberi; ut de apocryphis libris haud quidquam pronunciem, quorum jactura haud magni est facienda. Adde, quod incuria Judæis illorum temporum facilius imputetur, 20) quam probetur, & si Barbarorum impressio-

nes

- 17) Vide B. AVI Systema Theol. P. I. p. 346. & ex eo B. HOFFMANNI Synopf. Theol. Edit. II. p. 76. nec non THEOD. THUMM I Synopsin p. 4.
- 18) Hinc graviter scripsit G. OLEARIIUS Observ. S. ad evangelium Matthæi p. 72. "Certe ubique in Regum & Paralipomenon libris ad annales Regum Judæ & Israelis provocatur, in quibus dicitur, plura & magis luculenta legi ad historiam Principum illorum pertinentia, dubiumque nullum est, multos Prophetarum sermones, quorum vel summa in ista epitome tantum exhibetur, vel generalis tantum, vel plane nulla fit mentio, annales istos fuisse complexos. Deinde libros aliorum sapientum talia multa comprehendisse, ipsos vero periisse maximam partem, cum pauca scripta Judaica, Christi natales indubitatè antecedentia, habeamus, nemo facile negaverit. Quin & ipsorum Prophetarum scripta nonnulla intercidisse, ipsis scripturis præeuntibus & Judæi fatentur, ABEN-ESRA, ISAACUS ABARBENEL, DAVID KIMCHIUS, & christiani theologi, sive Veteres, ORIGENES, EUCHERIUS, ATHANASIUS, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS, sive recentiores, quorum passim prostant testimonia.,"
- 19) Huc refero testimonium B. Cancell. JÆGERI, in cujus Compendio Theol. Edit II. p. 36. lego: "Non negari, quod quidam libri in ipsa Scriptura S. citentur, qui non extare videntur: ut liber bellorum Domini Num. XXI. 14. Liber justii Jos. X. 13. 2. Sam. I. 18. Chronica Regum Judæ & Israelis 1. Reg. XIV. 19. 29. Sed hi libri non sunt Sacri vel Canonici, nec continent doctrinam Religionis, sed potius fuere libri Historici & Politici, & qui tabulas Actorum publicorum continebant.," Adde B. Dn. D. PFAFFII Disput. Theol. de Scriptura sacra p. 9.
- 20) De hoc argumento legi meretur Jo. FRICKII Commentatio Theol. Cri-

nes in Judæam huic negotio nocuerunt, amissio scriptorum particularis evinci possit, non universalis.

§. VI.

Nolimus facere cum JOHANNE 21) CLERICO, asserente, Matthæum haud allegasse ipsorum Prophetarum verba, sed saltim dicti cujusdam interpretationem allegoricam, quæ amplius non existet. Postquam enim monuerat, durum esse & frigidum, quicquid ex sola similitudine vocum Netser aut Nezir deducatur, quærit: "Quomodo ergo potuit hoc ex Prophetarum scriptis exsculpi? Nimirum, allegorica loci cujuspiam interpretatione, iis temporibus notissima, quæ amplius non existat? Ideo videtur Matthæus nomen Prophetæ non extulisse, sed plurali numero τῶν προφητῶν dixisse. Ita aliquando solebant Apostolicorum temporum scriptores traditionem citare, non aliter ac ipsa Scripturæ verba.,, Nam durior & frigidior est ipsius expositio, quam illorum, quos pungere secum animo constitutebat. Matthæo quippe in more haud positum erat, tam emphaticum allegandi modum adhibere de interpretationibus saltim allegoricis, quæ multiplicandis præter necessitatem Scripturæ sensibus patrocinantur; ut Judæi 22) haud dubitaverint statuere, legem habere septuaginta facies. Neque CLERICUM simpliciter juvat numerus pluralis τῶν προφητῶν, cum enallage numeri pluralis 23) pro singulari haud inusitata sit. Neque agitur de scriptoribus Apostolicorum temporum, eorumque more citandi traditionem, sed de scriptoribus canonicis N. T. ipsis, quorum unus erat Matthæus. Ut non addam, CLERICUM confundere interpretationem dicti biblici allegoricam cum traditione, quæ tamen ab invicem oppido distingui debent.

§. VII.

tica, de cura ecclesiæ veteris circa canonem scriptura, & conservandam codicum puritatem.

21) Animadv. ad Hammondum T. I. f. 11.

22) Vid. GLASSII Philol. S. p. 364. & vel maxime Reverendis. Dn. Cancell. PFAFFII Diss. de recta Theologiæ Parabolicæ & Allegoricæ conformatione, p. 26. 28. 29.

23) Ejusmodi locutionis exemplum subministrat ipse Matthæus c. II. v. 20. de Herode inquam: mortui sunt, quærentes animam pueri.

Magnam affinitatem cum sententia CLERICI habet expositio JO. EDUARDI, 24) qui statuit, Matthæum dicere, prædictum id esse non à Propheta aliquo ex Scriptoribus V. T. sed à Prophetis, si- ve a Viris, qui publica ad populum verba fecerint de venturo Mes- sia, nec minus de loco habitationis, quam nativitatis & crucifixio- nis auditores suos instruxerint; unde ad homines Matthæo coævus propagata fuerit sententia, Messiam Nazarethæ in Galilæa habitatu- rum. Eadem mens fuit 25) JANSENI, 26) CLARII, 27) FECH- TII, & ex majoribus nostris vel maxime 28) ANDREÆ OSIANDRI, quo nemo luculentius in libro rarissimo hypothesein hanc hermenev- ticam perpolivit, qui eapropter suos sequentem in modum subduxit calculos: "diligenter notandum arbitror, quod Matthæus hoc te- stimonium non uni alicui Prophetae attribuit, sed multis, neque ab ullo scriptum esse tradit, sed à pluribus dictum esse asserit, quod ut melius, quid sibi velit, intelligere possimus, tria prophetarum gene- ra olim fuisse scire debemus. Primum genus fuit eorum, qui, quan- docunque res postulabat, oracula, visiones, aut fatidica somnia im- petrabant, qualis fuit Moses, Samuel & alii, quos autem prisca ætas videntes, vulgus autem Judæorum prophetas priores vocare solent. Alterum genus fuit eorum, qui cum oracula, visiones, aut somnia fatidica pro suo arbitrio nunquam elicere possent, tamen, quoties Deo visum esset, per eos populum docere, aut admonere, aut ob- jurgare, divinitus inspirati prophetabant: atque hos Judæi vulgo po- steriores vocant, eo quod maxima pars eorum fere post Salomo- nem

24) Fuit is SS. Theol. Baccalaureus, & Socius Collegii Joannæi Cantabrigiensis, cujus Disquisitio de quatuor notabilibus N. T. locis, quæ aliquid habent difficultatis, cum probabili eorum explicatione prodiit Cantabrigiæ, A. 1692. In ea dictum nostrum primum occupat locum, succedentibus I. Cor. XI. 14. XV. 29. I. Pet. III. 18. 19. 20. 21. Conf. Acta Eruditorum Lipsiensia A. MDCXCIII. N. II. p. 49. sqq.

25) Conf. CALOVII Bibl. Illustr. N. T. T. I. f. 159.

26) Vid. WALTHERI Harmonia Biblica f. 485.

27) Lectio. Theol. in Syllogen p. 281.

28) Annotat. in L. I. Harmon. Evangel. C. XI.

nem sub idololatriis Regibus fuerit, ut Esaias, Jeremias, Ezechiel, & duodecim, quos vocant minores, cum melius illud genus circa Davidis tempora fere desierit. Tertium genus est eorum, qui quamvis oracula, visiones & somnia fatidica à Deo nunquam obtineant, tamen à superioris generis prophetis, tanquam à præceptoribus eruditi, & Sancti Spiritus interna unctiōe edocti, literas propheticas rectè intelligunt, easque aliis enarrare, & ex eisdem petentibus, recta consilia dare, & quæ recta ratiocinatione ex eorundem dictis necessario consequuntur, perspicere valent. Hos prisca ætas filios prophetarum, Paulus autem Corinthiis scribens simpliciter prophetas appellat. Et priora quidem duo genera, quicquid eis ad erudendam posteritatem de futuro Christi regno divinitus revelatum fuit, in literis relatum posteris reliquerunt, eaque omnia adhuc integra, ac salva superesse credendum est. Posterius autem genus, ut in docendo plurimum versatum est, ita à scribendo ferè semper abstinuit, præsertim in vetere testamento. Quare cum Matthæus præter solitum, id, de quo jam agimus, non ab aliquo propheta scriptum, sed à multis prophetis, tantum dictum esse commemoret: verisimillimum est, eum de hoc ultimo prophetarum genere sensitisse. „

§. VIII.

In hac expositione egregium est, quod ad τὸ πῦθ' ἐν Evangelistæ justissima fiat attentio; quod animus abstrahatur a scriptoribus V. T. canonicis, quorum, si Prophetæ vocabuli in etiam in sensu 29) latissimo sumas, ne unicus quidem, omniumque minimè plures, hoc dictum scripto reliquerunt; quod ex fœcunditate vocabuli prophetæ urgeatur significatus ejus paulo 30) latior; quod nullum sit dubium, filios 31) Prophetarum probe eruditos suis quoque hanc π'ί'σ'ισ'α'σ'ι'ν de loco habitationis Messiaë inculcasse. Assensum tamen impedire possit aliorum eruditorum inprimis formula allegationis à Matthæo

29) Act. III. 21. X. 43.

30) Luc. XXIV. 27. 44. Dignissima est, quæ conferatur MOSHEMI Dis. de illis, qui Prophetæ vocantur in novo fœdere p. 33. seqq.

31) De his ex VITRINGÆ Synagoga veteri excerpta dedit CARPZOVIVS Introd. ad Libros Biblicos V. T. P. III. p. 20. sq.

thæo usurpata: ὅπως πληρωθῆ τὸ ρηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, quæ, si quid videmus, ab Evangelista nostro, eodemque Apostolo, de Prophetis adhibetur, quorum scripta canonica supersunt, nunquam vero de filiis Prophetarum, eorundemque informatione orali de Messia fidei suæ sociis data. Quamdiu itaque ejusmodi allegationes non fuerint probatæ, omni exceptione superiores erunt citationes nostræ citationi 32) similes, Matth. I. 22. II. 15. 17. IV. 14. VIII. 17. XII. 17. XIII. 35. XXI. 4. 5. XXVII. 9. 35.

§. IX.

Non faciunt, quod satis est, in interpretatione dicti substrati, qui cum COCCEJO subsistunt 33) in vaticiniis Prophetarum, de futura Messia habitatione in Galilæa, quale legitur Jes. VIII. 23. IX. 1. Plenius constare possit de tota hac re, si ipse Vir celeberrimus audiatur, qui scripsit: "innuit Matthæus eas prophetias, in quibus prædictum est, Christum primo revelatum iri cum verbo & factis salutaribus in specie in Galilæa. Nam qui Nazarenum dicit, Galilæum dicit.," Arbitramur certè, generalissimam hanc interpretationem emphasin nostræ allegationis pro sua dignitate nequaquam exhaurire, quæ specialissimè locum pueritiæ & adolescentiæ Servatoris pandit. Prætera dictum Jes. VIII. 23. & IX. 1. à Matthæo demum citatur infra C. IV. 13. seqq. ubi agitur de Christo derelinqunte Nazaretham, non commorante in ea; ut concipi haud possit, Matthæum ad hunc locum heic respexisse. Falsum porro est, Christum qua Galilæum primo revelatum fuisse cum verbo & factis salutaribus Nazarethæ, cum Nazarethani 34) ejus concione fuerint
 B 2 offensi,

32) Prima namque, quarta, quinta, sexta, & octava petitæ sunt ex Jesaia; tertia & nona ex Jeremia; secunda ex Hosea; septima & decima ex Psalmis; octava ex Zacharia.

33) Inter hos eminent Jo. HENR. REITZIUS in Notis ad Goodwini Mosen & Aaronem p. 79.

34) Matth. XII. 54. seqq. Marci VI. 1. seqq. Luc. IV. 16. seqq. Adde DERLINGII Observ. S. P. I. p. 225. sq. Num. XLVI. ubi disquiritur: Cur Christus nulla miracula Nazarethæ potuerit patrare? & RECHENBERGII Diss. de contemptu Prophetæ in patria, quæ habetur in Volumine Exercitationum in N. T. p. 209, seqq.

offensi, & eorum incredulitas miraculis ipsius maximo fuerit impedimento. Nec qui Nazarenum dicit, Galilæum statim determinatè satis dicit, quia Galilæa alia fuit superior, & alia inferior; ad hanc spectabat urbs Nazareth, non ad illam.

§. X.

Ad idem vaticinium Jesaianum se tanquam ad asylum recepit 35) HEINSIUS, licet fassus fuerit, involutè locutum esse Prophetam, quem Matthæus laudat. Ita enim ille: 36) Malim respici illum locum, qui Matth. IV. 16. laudatur, nempe Jes. IX. 1. 2. ubi diserte Nazareus habitatione futurus Messias dicitur. Habes ibi Zabulon, 37) qua continetur Nazareth, habes & circumlocutionem ex origine ac designatione vocis, nam Matthæus dicit *κατῶκησεν*, quod est *לָבַי*; unde *Ζαβυλων*, ab habitatione dicta, habes incolam illius, qui hic *φῶς*, quod nomen Messiae propriè convenit, quo & passim indigitatur. Ignotum autem populum & urbem rectè dixit, cujus nulla in V.T. fit mentio; quod de Nazaretha omnes observarunt. Ibi ergo habes, sed 38) occultè & propheticè; *ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται*, h. e. Hebræorum more erit.

§. XI.

35) Exercit. S. ad h. l.

36) Vide POLI Synopf. Critic. Vol. IV. f. 64.

37) Hinc etiam HASÆUS in Diss. de præstantia Zabulonis præ Sidone c. II. urget effata, quæ, uti arbitratur, de commercio Messiae in terra Zabulonitica agunt Gen. XLIX. 13. Deut. XXXIII. 18. in quibus felicissimus Zabulonis prædicatur egressus; accedente KIESLINGIO in Commentat. de Jesu Nazareno ingrata patria exfule p. 17. qui & aliquo modo in partes vocavit GUSSETIUM atque KIDDERUM.

38) Pariter & HENR. MORUS se expedire videtur, quando Oper. Theol. L. I. C. II. scripsit: "Quod vaticinia per obscuras ambages edita sint, nec mirari debemus, nec conqueri, cum tam evidens illius rei ratio sit, & tam iusta. Valde enim consentaneum est, ut illa scientia, quæ tam longe supra captum humanum remota est, veneratione perinde humili, ac profunda recipiatur, quam omnibus quidem veritatibus obscura, mysticaque tradendi ratio conciliat, iis autem debetur maximè, quæ maximè sunt insignes, omniumque maximè facultates nostras naturales excedunt; cujusmodi est prophetia."

§. XI.

Laudem meretur ab una parte HEINSIVS, quod vaticinium Jefaia interpretetur de 39) Messia nostro, magna illa 40) luce mundi; quemadmodum & illud non inusitatum est, ut unus locus V. T. aliquoties citetur in novo testamento; quod exemplo capituli quinquagesimi tertii Jefaiani probari possit, quippe quod in N. T. decies 41) laudatur; ut mirum videri non debeat, Matthæum & C. IV. 14. seqq. idem dictum repetiisse. Tandem & τὸ κληθήσεται idem esse ac erit, ex stylo Scriptorum sacrorum 42) patuerit, qui τὸ καλεῖν cum verbo εἶναι haud raro permutant. Matth. V. 19. Marc. XI. 17. Luc. I. 32. 36. 76. Sed ex altera parte nonnulla molesta sunt in interpretatione Heiniana, quæ sine omni censura dimitti vix possunt. Ita supponit Vir doctus, & male supponit, involute locutum esse Prophetam, quem Matthæus innuit. Nam evolutè Prophetas, à Matthæo laudatos, de Messia vaticinatos esse, habuimus in antecedentibus, ut ex paritate allegationis factæ idem judicium de oraculo nostro ferri debeat. Falsum & illud est, quod Jes. IX. 1. 2. Messias diserte Nazaræus habitatione futurus prædicatur. Provocamus ad inspectionem, & res erit in vado. Et quomodo subsistet assertio HEINSII, ignotum populum & urbem rectè dixisse Matthæum, cujus nulla in V. T. facta fuerit mentio, quod de Nazarethæ omnes observaverint,

B 3

39) Vide Viri ὀνόματι ἀγλαῖς J. R. OSIANDRI Diss. de sensu verborum Jes. IX. 6. p. 4. seqq.

40) Num. XXIV. 17. Jes. XLII. 6. XLIX. 6. LX. 1. 2. Mal. IV. 2. Luc. I. 78. 79. II. 32. Jo. I. 9. III. 19. VIII. 12. IX. 5. XII. 35. 36. Act. XIII. 47. Apoc. XXII. 16. Adde DEYLINGH Obs. S. P. II. p. 407. seqq. B. AVI Lucem increatam & creatam p. 6. seqq.

41) Matth. VIII. 17. Marci XV. 28. Luc. XXII. 37. Jo. XII. 38. Act. VIII. 30. sq. Rom X. 16. I. Cor. XV. 3. I. Pet. II. 22. 24. 25. Conf. B. D. D. J. R. OSIANDRI Diss. de Messia prospere redemptionis legationem peragente p. 4.

42) Adde GLASSII Philol. S. L. III. Tract. III. Canone XVI. p. 790. sq. L. IV. Tract. III. Observ. XVIII. p. 1383. sq. Scilicet verba, quæ rei appellationem vel notificationem significant, quandoque pro ipsa rei productione & essentia usurpantur.

verint, si ibi Messias diserte Nazaræus habitatione futurus dictus est? Nolim etiam elogium Nazareni ex Matth. IV. 13, seqq. coll. Jes. IX. 1. 2. adstruere, cum agatur de Galilæa gentium, quæ superior audiebat, in qua urbs Nazareth non sita erat, adeoque ad titulum Nazareni nihil confert. Non monebo, quod ibi Scriptor sacer agat de urbe Nazareth à Christo derelicta, & commoratione ejus in urbe Capernaum. Neque perspicio nexum: Matthæus dicit κατ' ὄκησιν, quod est זבולון unde Zabulon, ergo determinavit habitationem Domini in Nazareth.

§. XII.

Facilius in hoc negotio versari videntur, qui Nazareni nostri nomen à Nasiræis Veteris Testamenti repetunt, eosque typum Messiaë tanquam antitypi gessisse asserunt. De Nasiræis plura legi in Veteri Testamento 43) extra dubium est, & in eorum numerum referri 44) Josephum, 45) Samsonem, 46) Samuelem, 47) pariter notissimum est, qui etiam typum Messiaë referre nullo negotio potuerunt, imò præviis Prophetarum scriptis actu retulerunt. Cum vero ex fautoribus hujus sententiæ nemo cautius eam exposuerit FRIDERICO 48) SPAN-

43) Num. VI. 2. seqq. Thren. IV. 7. 1. Maccab. III. 49. Conf. CLERICI Comment. in Pentatevchum P. II. f. 352. sq. B. AVI Commentar. in Num. f. 54, seqq. GOODWINI Mosen & Aaronem p. 76, sq. LEUSDENII Diss. de Nasiræis, quæ vigesima secunda est in Philologo Hebræo-Mixto p. 162, seqq.

44) Conf. HAMMONDI N. T. P. I. f. 11.

45) Vid. CHEMNITIUS in Harmon. Evang. T. I. f. 137. GLASSIUS Philol. S. L. II. P. I. Tract. II. Sect. IV. p. 459.

46) Adde 1. Sam. I. 11. & CALOVII Bibl. Illustr. N. T. T. I. f. 158.

47) Talmudici Hierosolymitani etiam Absalomum Naziræis annumerant; quibus accessit pro more suo LIGHTFOOTUS.

48) Dub. Evang. P. II. p. 616. Is in partes vocat TERTULLIANUM, EUSEBIUM, HIERONYMUM, THEOPHYLACTUM, RUPERTUM, FERUM, LUTHERUM, BUCERUM, CALVINUM, BEZAM, alios; quibus addimus BALDUINUM WALÆUM, in Comment. ad libros N. T. historicos p. 20. & Jo. GOTTLOB. CARPZOVIVM l. c. P. I. p. 173. 179. & CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM ad Pasoris Lexicon Græco-Latinum p. 968.

SPANHEMIO, bona cum lectoris pace, ejus verba damus formalia, ut de integra causa eo concinnius ferri possit iudicium. Mihi, inquit SPANHEMIUS, sedes allegationis Matthæi constituenda videtur in duobus potissimum typis Christi, in Josepho & Samsone & titulo Naziræi, qui utrique tribuitur. Uterque diserte & αὐτολεξεί Naziræus vocatur, ille Gen. XLIX. 26. Deut. XXXIII. 16. iste Judic. XIII. 5. 17. XVI. 17. Uterque typum Christi Servatoris gessit, & in eo ipso gessit, quatenus utrique Naziræi nomen hæsit. An mirum ergo, antitypo applicari ab Evangelista, quod jam olim dictum erat de typo, & quod de typo dictum erat, cum σχῆμα singulari ad Messiam futurum? Quia itaque Christus utrique respondere debuit ut antitypus typis; nomen Naziræi gerere debuit, quod quia æquum non erat, ut fortiretur à πολιτεία vel θρησκεία ceremoniali Naziræorum legatum, alia occasione obtinere debuit, quam divina providentia miro modo ex mora Josephi in Nazareth nasci voluit, unde id nomen illi in vulgus etiam tributum, per contemptum quidem & probrum sæpe à causis secundis, sapientissimo tamen consilio & scopo ratione causæ primæ. Et sane mirum, Josephum omnia alia prius cogitantem, Archelai metu compulsus fuisse ad secessum in Nazareth, in speciem, ut tutius lateret cum puero in loco ignobiliore, revera secreto instinctu, ut inde non humano consilio, sed divino plane, Christo hoc nomen hæreret. Quod Dei consilium, & solum quidem, non hominum institutum respicit Matthæus, quando inquit, hoc factum fuisse, ut impleretur, quod dictum jam olim per Prophetas.

§. XIII.

Gaudet profecto SPANHEMII expositio commodis haud contemnendis, ex quibus potiora dare animus est. Primò retinetur in ea numerus pluralis τῶν προφητῶν, ad quorum testimonia Matthæus respexisse dicitur, Jacobi puta Patriarchæ, Mosis, authorum libri Judicum & prioris libri Samuelis; qua opportunitate non fruuntur, qui in unico saltem cujusdam Prophetæ scripto dictum nostrum quaerunt, enallagen numeri pluralis pro numero singulari urgentes. Verum est secundò, Josephum fuisse typum Messiae, ubi, ut cum NICOLAO COLLADONE apud 49) SPANHEMIUM loquamur, præcipua ista videntur.

49) l. c. p. 619. 620. 621. 622.

videntur, Josephum nobis referri in Scriptura S. ejusdem quidem originis & naturæ cum fratribus, peculiari tamen ratione à patre dilectum, vitiorum fraternalium censorem, Prophetam etiam super statu futuro suimet simul & fratrum. Eundem odio habitum à fratribus, & gratis quidem, illo ipso, quod honorem & reverentiam illi conciliare debebat, illi creatum odium. Eundem morti adjudicatum à fratribus, venditum & gentiliū potestati objectum, dira multa passum, quamvis innoxium, felicissimè tamen ex omnibus ærumnis eluctatum. Eundem Servatorem externum redditum & fratrum suorum, & multorum Ægyptiorum. Omnia de illo prædicta præter spem fratrum adimpleta, eundem ex infimo calamitatis gradu ad summum dignitatis fastigium evectum, coronam & gloriam fratrum suorum redditum. Eisdem, qui insultaverant illi, supplices ei factos. Fratres Josephum, utut graviter offensum, beneficium tamen experiuntur. De Josepho dictum, non esse intelligentem, qui cum eo conferri possit, illum constituendum super totam Ægyptum, neminem sine illo erecturum manum vel pedem. Commendatione Josephi fratribus patet aditus ad gratiam Pharaonis, quamvis artem alioquin exosam Pharaoni profiterentur. Acclamatum fuit Josepho certatim ab Ægyptiis: vivificasti nos, inveniamus gratiam in oculis Domini. Fratres apud illum jam cognitum culpam deprecantur, & summa cum mansuetudine excipiuntur. Cæteroquin malum omne, quod cogitatum fuerat à fratribus contra Josephum à Deo conversum fuit in bonum Josephi & fratrum. Ita etiam Servator describitur particeps carnis & sanguinis, æquè ac pueri, filius dilectus, in quo pater acquiescit, qui doctorem & censorem egit fratrum, prophetam etiam prænuntium status sui simul & fratrum. Idem odio habitus, & gratis, & inde illi conciliata invidia, unde conciliari debuit gratia & amor. Idem contumeliosè habitus à fratribus, in sua venit, sed sui eum non recepere, traditus in manus infidelium, eluctatur felicissimè ex variis ærumnis, & ipsa morte, & è summa exinanitione ad summam dignitatem conscendit. Omnia de illo prædicta miris modis impleta. Fit ille corona & gloria fratrum. Qui noluerunt illum regnare super eos, ad genua ejus provolvuntur. Illi etiam eum mansuetum experiuntur, qui illum confixere. Omnes creaturæ illum adorant, genua omnia coram illo flectuntur. Non sapientiæ tantum summæ laus illi tribuitur, sed &

& nomen supra omne nomen. Ipsius tantum beneficio patet fratribus accessus ad Deum, qui artes alioquin summe Deo exosas erant professi. Acclamatum ei in cœlis & in terra. Malum omne, quod contra eum cogitatum, præter spem conversum fuit in bonum. Verum est tertio, Samsonem præfigurasse Messiam, de quo novimus, nativitatem ejus extraordinariam fuisse prædictam ab Angelo, & matri quidem disertè dictum, illum Nazaræum futurum, idque ab utero usque ad diem mortis suæ, illum futurum liberatorem populi sui, spiritum Dei in eum irruisse inde à pueris, ejus vim sese exseruisse in ætate matura, robur in illo extraordinarium animadversum tota vita, acta mira, leonem ab eo discerptum, & discerptum sine molimine arduo, è cadavere educam dulcedinem, & cibos. Hostes & multos & graves ab eo fusos, & fusos sine armis, eorum exuviis ditatos suos. Non vincitur Samson, nisi volens, & frustra vincitur, donec adesset hora mortis. Ante hanc periodum nec vinculis constringi potest, nec ullo obice coerceri. A propriis fratribus traditur hostibus. Voluntariè ille mortem subit, & ipsa in morte hostium victor singulari triumpho evadit. In applicatione ad Christum constat, nativitatem ejus extraordinariam fuisse, & prædictam ab Angelo, & prædictam matri, & Christum sanctum Domini fuisse ab utero ad diem usque mortis, illum fuisse liberatorem sui populi, Spiritu Dei indutum ex alto præ confortibus, ejus etiam vim se in Domino ætate potissimum matura exseruisse, virtutem in illo admirandam animadversam, sermones *μετ' ἐξουσίας*, opera divina, leonem infernalem ab eo oppressum, carnem crucifixam conversam in cibum, hostes omnes ab eo fusos, nullam vel rabiem, vel vim, vel dolum ejus virtuti obstitisse, donec adesset hora mortis, qua se à fratribus tradi, ab hostibus capi passus fuit. Ab eodem ultro morti obviam itum, & in ipsa morte singularis triumphus ab hostibus reportatus, quibus mors illius fuit lethale telum. Quartò, judiciosissima est observatio SPANHEMI, non æquum fuisse, ut Christus Naziræi nomen sortiretur à *πολιτεία* vel *θρησκεία* ceremoniali Naziræorum legalium. Hi enim se continebant à vino, nec ad cadaver mortui accedebant, neque novaculam capiti immittebant, alentes capillos suos. At vero Servator vino usus est, *δινωπέτης* eapropter 50) per calumniam dictus, & in ultimo 51) pa-

50) Matth. XI. 19. Luc. VII. 34.

51) pa-

§1) paschate genimen vitis degustavit. Idem quoque §2) puellam
 ἀρχοῦτ mortuam manu tetigit; §3) & filiam Jairi ex mortuis resus-
 citavit; & loculum §4) juvenis Nainitici attrectavit; & ad sepul-
 chrum §5) Lazari ivit, eum evocaturus ex morte. Neque vel mi-
 nimum in biographia Christi deprehenditur vestigium, quod à no-
 vaculæ usu abstinerit, & suos capillos aluerit. Quare & præter
 GERHARDUM §6) perspicax GROTIUS §7) ita suam exposuit men-
 tem: hæc mihi videtur esse Matthæi sententia, in veteri federe
 eos, qui supra communia legis præscripta peculiari cuidam sancti-
 moniæ Deo, non res suas, sed semet ipsos dedicarent, Nazaræos
 vocari: id autem in Christo eminenter impletum, ut, qui non vini
 abstinentiæ, aliisve id genus ceremoniis, sed morti cruentæ atque
 ignominiosæ se ultro devoverit, quo respiciunt Christi verba Joh. XVII.
 19. ubi est vox ἀγιάζω, unde ἡγιασμένον, quod apud LXX. ponitur
 pro Nazaræo. Si conferas, quæ tractat Scriptor ad Hebræos C. X.
 §. 6. 7. 8. 9. 10. apertissimè videbis, Christo perfectissimo modo com-
 petere nomen Nazaræi. Dicit igitur Matthæus, ita dispositis à
 Deo rebus, ut Josephus & Maria ab Ægypto reversi, Nazarethæ larem
 figerent, hoc actum, ut ex ea habitatione Christo nomen illud adhæ-
 resceret, quo sanctimonia ipsius perfectissima, & votum pro nostra
 salute susceptum notaretur.,

§. XIV.

Ne quid tamen dissimulemus, occurrunt heic aliqua, quæ re-
 moram assensui nostro paulisper injicere possint. Non sufficit, in ge-
 nere dicere, Josephum cum Samsone præfigurasse Christum titulo
 Naziræi; sed in specie enarrandum fuisset, an hi fuerint Nasiræi na-
 tivi, vel votivi, & in adplicatione ad Messiam, an & is fuerit Nazi-

§1) Matth. XXVI. 29.

§2) Matth. IX. 18. 25.

§3) Marci V. 22. 35. 40. 41. Luc. VIII. 41. 49. 54. 55.

§4) Luc. VII. 14.

§5) Joh. XI. 38. seqq.

§6) Comment. in Matthæum ad h. l.

§7) Annotat. in Libros N. T. ad h. l.

Naziræus, vel propria, vel aliena destinatione. Scilicet Naziræi nativi aliena destinatione tales fiebant, uti Samson, Judic. XIII. 5. & Johannes Baptista, Luc. I. 15. Votivi vero propria destinatione se ipsos separabant. Nasiræatus porro duplex fuit, vel Nasiræatus certorum dierum, vel Nasiræatus seculi, hoc est totius vitæ. Hujus conditionis fuerunt Simson & Johannes Baptista; illius vero 58) Paulus, & quatuor 59) alii viri, qui voto se obstrinxerant. Vehementer autem ambigo, Messiam tam nativis, quam votivis annumerari posse Nasiræis. De Josepho propriè dici haud potest, quod fuerit Nasiræus, cum Nasiræorum officia demum post ipsius mortem fuerint promulgata, & vox נזיר non tantum hominem votivum, sed & virum excellentem, imo principem, & 60) regem significet; quod inter alia ex eo illustrari possit, quando נזיר occurrit 61) de corona sanctificationis, quæ in capite summi Pontificis erat; de oleo 62) unktionis summi Pontificis; de 63) diademate regio. De Simsone Nasiræo fallit locus à SPANHEMIO adductus ex 64) Jud. XIII. 17. Idem præterea errat, Josephum & Samsonem in nomine Nasiræi Christum præfigurasse, cum tamen Servator Nazarenus vocetur, nunquam Nasiræus. Et quemadmodum Nasiræus & Nazarenus differunt 65) scripture, ita
 C 2 etiam

58) Actor. XVIII. 18.

59) Actor. XXI. 24.

60) Conf. Jo. CLERICUM in Genesim. f. 355.

61) Exod. XXIX. 6. XXXIX. 30.

62) Levit. XXI. 12.

63) 2. Sam. I. 10. Ps. LXXXIX. 40.

64) Inspectio loci docebit, nihil inibi occurrere de Nasiræo.

65) Nam נזיר scribitur cum Sain, & Nazarenus deposcit Zade; Hinc Nazaretham repeti video tam à נצר surculus, quam à נצר custos. Priorem derivationem suam fecerunt HIERONYMUS & BERNHARDUS, ob multitudinem arborum & florum, quorum aspectus in acclivi hujus urbis loco oculos pascere solebat; posteriorem ex CASTELLO & ROBERTSONIO repetiit KIESLINGIUS, vi cujus Nazareth fuit oppidum acclive, & montanum, ad quod accessus erat difficilis, & egressus periculosus. Adde, quod septuaginta Interpretes, ubi agunt de Nasiræis, nunquam nomen

etiam differunt significatione. Si omnia concessero, Nasiræus est homo separatus, & Deo consecratus; Nazarenus autem est incola urbis Nazareth. Quæ, qualis, quanta jam est relatio Nasiræorum Josephi & Samsonis ad Christum Nazarenum, tanquam typorum ad suum antitypum? Nulla. Ut haud urgeam, ne unicum quidem locum à SPANHEMIO fuisse productum, in quo vel Josephus vel Samson vocatus fuerit Nazarenus, quod tamen de Christo pronunciat Matthæus. Imo, cum hic provocet ad dictum Prophetarum de Messia vocando Nazareno, non ad 66) typos, actum esse videtur cum SPANHEMIO.

§. XV.

Hæret in eodem nomine נַזִּיר 67) LIGHTFOOTUS ex parte, existimans, posse Matthæum intelligi loquentem de humili & vili Salvatoris externa conditione, quodque per vocem Ναζωραῖος, separationem ejus innuat, atque alienationem ab aliis hominibus, hominis veluti despicibilis, atque societate hominum indigni. Unde inquit: "1. Observetur Evangelistam non unum aliquem è Prophetis citare, sed omnes (τὰ ῥηθὲν δια' τῶν προφητῶν :) jam vero omnes Prophetæ fere vilem Christi & abjectam conditionem prædicant, nullus ortum ejus ex Nazareth. 2. David in persona ejus ait: Alienus fui fratribus meis, Ps. LXIX. 9. 3. Si vocem Ναζωραῖος deducas à נַזִּיר Naziræo, denotat ista vox non tantum separationem Deo dicatam, qualis erat Nazaræorum; sed separationem etiam hominis, quasi indigni ab hominibus, Gen. XLIX. 26. Hac ergo paraphrasi sensum Evangelistæ digeramus; Secessurus erat Josephus cum Christo ad Bethlehemum civitatem Davidis, aut ad Hierosolymas, civitatem regalem, ni terror Archelai prohibuisset. Indice ergo an-
gelo,

Ναζωραῖος à Matthæo usurpatum adhibeant, sed Samsonem vocent Ναζωραῖον Jud. XIII. 5. XVI. 17. & Nasiræos Ναζωραῖος 1. Macc. III. 49. Thren. IV. 7. Et Scriptoribus N. T. familiare est, Christum appellare, si non Ναζωραῖον, tamen Ναζαρηθὸν, quæ nomenclatio iterum à Nasiræo multum abludit. Marci I. 24. XIV. 67. XVI. 6. Luc. IV. 34.

66) Aliæ sunt allegationes typicæ ex V. T. in Novo factæ, ut earum collatio cum nostra allegatione docet 1. Cor. X. 6. 11. Hebr. XI. 19.

67) Hor. Hebr. & Talmud. in omnes Evangelistas p. 20 8, sq.

gelo, in Galilæam amandatur, regionem contemptissimam; inque urbem Nazaretham, locum vilissimum: unde ex ipso isthoc loco, locique nomine, ad apicem illud observes adimpletum, quod à Prophetis toties prædicatur, Messiam forè Nazor, alienum, vel separatum ab hominibus, ac si vilem nimium & societate eorum non dignum. „

§. XVI.

Non inconcinnè suam causam agit LIGHTFOOTUS, quando Nasiræum habet pro separato à נִיזְּ separavit, & præterea de vili conditione Servatoris in diebus carnis suæ loquitur. Sed & aqua ipsi hæret plus simplici vice. Supra namque jam diximus, Nasiræum & Nazarenum ab invicem differre, uti scripture, ita & significatione; quibus jam diversam quoque originem superaddere nulli dubitamus. Dein phrasis: *διὰ τῶν προφητῶν* non est universalis, uti patet ex Act. III. 21. X. 43. Ulterius & in Psalmo LXIX. 9. alia vox, quam נִיזְּ occurrit, de qua tamen LIGHTFOOTUS est quæstio. Et dictum Gen. XLIX. 26. non vergit in ignominiam Josephi; quod proinde nec in contemptum Servatoris applicari debet. Nam Jacobus patriarcha totus in eo est, ut Josepho benedicat, & plurimum quidem benedicat, tanquam ei, qui multis prærogativis præ fratribus sit gavisurus, veluti corona 68), & decus fratrum suorum planè singulare. Quorsum & respexerunt *οἱ LXX.* quando Gen. XLIX. 26. inquirunt: *ὧν 69) ἠγάπησατο ἀδελφῶν,* & in dicto parallelo Devt. XXXIII. 16. verba ita reddunt: *καὶ ἐπὶ κορυφῆς δοξαθεὶς ἐν ἀδελφοῖς.*

§. XVII.

Pariter & HENRICUS BENEDICTUS 70) STARKIUS difficultatem nostram textualem ita superare vult, ut Nazareni nomen

68) Conf. LEUSDENIUM l. c. p. 164.

69) Verbum *ἠγάπησατο* dignitatis inferre significatum, patet ex Matthæi C. II. 6. ubi Messias vocatur *ἡ γέμεν*, quod & occurrit de nostro Josepho, qui præerat Ægypto, & domui Pharaonis Act. VII. 10. Judæ & Silæ, præcipuis inter Fratres Act. XV. 22. Doctoribus Ecclesiæ fidelibus 1. Thes. V. 13. Hebr. XIII. 7. 17. 24. Adde Lucæ XXII. 26.

70) Not. Select. Critic. Philol. Exeget. in loca dubia ac difficiliora N. T. p. 11. 12.

men pro nomine contemptus habeat. Placet ejus sententiam paginis hisce inferere, vel & ideo, quod à nullo recentiorum interpretum ea relata, multoque minus sub incudem vocata est. Inter omnes, ait, sententias nulla mihi apparet probabilior, simplicior, ac veritati prædictionis & eventus consentaneor, quam illa, quod Nazarenus sit proverbialiter nomen contemptus. Constat namque ex historia Evangelica, quam malè audiverit, quamque exosa Judæis fuerit Nazareth, cum tota Galilæa, cujus oppidum erat, ut, si quem vellent, appellare vilissimum & nullius pretii hominem, eum appellarent Nazarenum, vel Galilæum, nec meliorem sortem contigisse optimo Salvatore, eo quod eum Galilæa oriundum crederent. Hinc aliis affirmantibus ipsum esse Prophetam, aliis Messiam, alii reclamabant: Num Christus ex Galilæa veniet? Jo. VII. 41. & Nicodemo defensori veritatis: Num etiam tu ex Galilæa es? ex Galilæa non oritur Propheta ꝑ. 51. Similiter quem latet, quid Philippo Nathanael objecerit? Num ex Nazareth boni quicquam esse potest? Jo. I. 46. Nec minus inscriptio crucis, Jesus Nazarenus, isque Rex Judæorum, quanta non potuit esse ignominia & Christo & Judæis! Atque de vili, abjecto & contemtili statu Messiae multa quoque vaticinatos esse prophetas, imprimis Jesaiam C. LIII. 2. 3. & Zachariam C. IX. 9. XI. 12. 13. quis nescit? quæque allegare Evangelistæ prolixum fuisset, sed satis habuit dicere, quum parentes Jesu secederent in partes Galilææ, & habitatum in urbe famosa Nazareth, tum impletum iri verba prophetarum, quod Nazarenus vocandus sit, i. e. 71) ab eo loco omnem simul contemptum ac vilipendium, tanquam ibi satus & natus, nactus sit,,

§. XVIII.

Commendare possit STARKIUM, quod Prophetas strictè tales in plurium numero proferat, qui de contemtili Messiae conditione in his terris vaticinati sunt; quæ commoditas nonprehenditur in illorum 72) opinione, qui ad unicum dictum propheticum

71) Conf. G. OLEARIJ *Jesus der wahre Messias* p. 182.

72) Ita OEDERUS in *dis. de Sensu mystico* C. IV. §. XII. locum Matthæi repetiit ex *Jes. XLIX. 6.* licet lingua sacra lectorem facile deducere pos-

ticum Matthæum respexisse autumant. Videtur autem nihilominus STARKII πρώτον ψεύδος in eo quærendum esse, quod nomen Nazareni pro caractere vili & abjecto Messiaæ habeat, cum illud in se spectatum sit indifferens, & in adplicatione demum vel in malam vel bonam partem accipiatur. Non inficiamur, Christo in statu profundæ exinanitionis id subinde datum esse; sed præterea contendimus, illud quoque eidem in statu gloriosæ 73) exaltationis tributum esse. Dubitamus etiam, an verba: ὅπως πληρωθῆ τὸ ρηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ἵτι Ναζωραῖος κληθήσεται, exhauriantur per exegetin, quæ saltim per 74) consequentiam Messiam nobis sistit ut talem, qui con-

fit ad verbum 73) atque adeo ad expositionem WITSII, de qua mox dicemus. Certe R. SALOMO custoditos in Israele ibi intellexit, quocum facit VITRINGA Comment. in Jes. P. II. f. 571. ABEN-ESRA autem & KIMCHIUS statuerunt loca desolata; & B. LUTHERUM quoque desolationis ideam in animo habuisse, manifestum est ex ejus versione. Ita & JACOBUS ALTINGIUS, ex Ezech. C. XVII. versum 22. innui opinatur. Nam memorante ex WITSIO eodem OEDERO l. c. §. VII. per cedrum proceram intelligit ALTINGIUS familiam regiam Davidis; per ramos teneros illius cedri, filios Davidis è Nathane, è quo prognatum credit Christum; per tennellum ramum inde decerptum Messiam ipsum nulla specie decorum; per sumtionem de cedro, segregationem Messiaæ ad munera sua; per dationem, singularem Dei positionem, sive nativitatem miraculosam; per decerptionem ex summitate tenerorum ramorum, remotionem è natali solo, non sine quadam violentia; per plantationem, collocationem in alio loco, ubi crescat & adolescat; per montem excelsum, urbem Nazareth, in colle positam Luc. IV. 29. Quæ omnia ingeniose excogitata esse, vix quisquam negaverit; sed quod solida sint ad evolutionem Messiaæ, qui Nazarenus vocari debebat, vix unus aut alter putaverit.

73) Act. II. 22. III. 6. IV. 10. VI. 14. XXII. 8. XXVI. 9. Conf. Marci XVI. 6.

74) Eodem modo mentem suam aperuit CLAUDIUS, Theologus Gallus, qui, notante WITSIO, vult Prophetiam à Matthæo laudatam exstare κατὰ διαίρησιν, dum Jes. LIII. 3. Ps. XXII. 7. LXXIX. 20. prædicatur, Messiam variis scommatibus proscissum iri. Id quod contigit, quum Nazarenus ludibrii causa vocaretur, tum Judæis, tum Pilato Joh. XIX. 19. quasi diceres homuncionem nullius momenti, inutileque terræ pondus.

contemptui hominum sit expositus. Ad extremum, Scriptores Novi Testamenti non adeo 75) parci sunt in allegatione plurium vaticiniorum prophetiorum, ut prolixitatem eapropter à Matthæo amoliri haud debuisset STARKIUS.

§. XIX.

Promissi nostri memores tangimus interpretationem 76) WITSII, quam à FAUSTO SOCINO didicerat, vi cuius Matthæi Nazarenus quæri debet in illis Veteris Testamenti oraculis, in quibus Messias 75) vocatur. Hoc sine laudat SOCINUS Job VII. 20. Prov. XXVI. 12. & WITSIUS Ps. XXXI. 24. Jes. XXVII. 3. Qui & pergit: "in quibus locis Deus humani generis, & præcipuè fidelium, atque Ecclesiæ suæ custos & conservator, Notzer Prophetis dicitur. Conservator autem iste Dei filius, qui & idem filius hominis, est, neque aliter Deus nisi in filio: illi ergo singulari ratione competit hoc elogium. Jam quid facilius, quid expeditius tali ratiocinatione: Jesus, Deo ita gubernante, multos annos Nazarethæ habitavit, ideoque vulgari nomenclatione dictus est Nazarenus, ut ex intentione Dei mysticè significaretur, Jesum eum ipsum esse, quem Prophetæ, Jobus, David, Salomon, Jesaias, nomine Notzer indigitarunt.,,

§. XX.

Benè est, quod ipse WITSIUS agnoscat, non permisisse SOCINO hypotheses, ut allegata loca, quibus Deus hominum vel animarum Servator dicitur, Christo applicaret. Sed hac cautela non obstante, vix adhærebunt WITSIIO, qui curatius loca citata cum verbis Matthæi contulerint. Nam ea 77) disertè non ita agunt de Christo,

75) Huc spectant dicta, in quibus coalitio plurium locorum biblicorum conspicitur. Vide Matth. XXI. 5. coll. Jes. LXII. 11. & Zach. IX. 9. Matth. XXI. 13. coll. Jes. LVI. 7. & Jerem. VII. 11. Act. I. 20. coll. Ps. LXIX. 26. & CIX. 8. 1. Pet. II. 7. 8. coll. Ps. CXVIII. 22. & Jes. VIII. 14.

76) In Oecon. Fœd. p. 603. & prolixius adhuc in Melet. Leidens. p. 285. sq. Eadem mens fuit & BRENTII, & MOMMÆ.

77) Adde DEYLINGII Obs. S. P. I. p. 202.

Christo, ut non toti SS. Trinitati tribui possint, & tribui debeant. Explicant ea opus Dei ad extra, quod Patri, & Filio, & Spiritui S. commune est; Evangelista vero Matthæus docet, Christum præcise à Prophetis dictum esse Nazarenum. Et quamvis concederetur, Christum à Jobo, Davide, Salomone, & Jesaia vocari custodem & Servatorem, nondum tamen demonstratum est, Notzer idem esse 78) cum Nazareno. Accedit, quod Matthæus jam capite I. v. 21. ex nomine Jesu probaverit, Messiam esse Servatorem sui populi; qua probatione suo loco relicta, ad alia progressus est, & causam allegavit, cur non Bethlehemitarum, sed Nazarethanorum incola factus fuerit. Atque hanc ait esse illam, ut constaret, Prophetas verissima pronunciasse, quando de eo ejusmodi verba fecerunt, ut auditores & lectores de urbe 79) Nazareth & cogitare possent, & cogitare deberent. Infirmæ etiam causæ indicium illud dixeris, quod WITSIUS confugiat 80) ad sensum mysticum, cum potius sensus literalis de Messia Nazareno vocando indagandus fuisset.

§. XXI.

Ducit nos WITSII Notzer ad vocem נצר furculus, quæ à priori derivari solet, eo quod furculus custodia eget, ne à vento dejiciatur, aut evellatur. Vix enim cuiquam ignotum esse potest, 81) multos
D
existi-

78) Hinc ipse titubans WITSIUS ait: "negari non potest, quin vocabulum Notzer vel idem, vel ferme idem sit cum Nazareno: quando enim Judæi nostrum designant Jesum, unius solum literulæ additione vocant Notzeri. Sed cum hæc ipsa literula, quamvis parva, ad formandum nomen gentilitium, quale Nazarenus est, maximè requiratur, vereor cum OEDERO l. c. §. IX. ut ita facile, quod vir doctissimus postulat, concedi possit.

79) Vid. WOLFFI Cur. Phil. & Crit. in IV. Evang. p. 47.

80) Conf. OEDERI Conjecturarum de difficilioribus S. S. locis centuriam p. 524.

81) Vel solus SPANHEMIUS l. c. p. 600. & sq. adducit HIERONYMUM, BARONIUM, SALMERONEM, JANSENIUM, MALDONATUM, TREMELLIUM, ARETIUM, PAREUM, PISCATOREM, CASAUBONUM, POLANUM, MAR-

existimasse, Matthæum in mente habuisse dicta, in quibus Messias 82) Netzer appellatur. Loquatur pro omnibus 83) DEYLINGIUS: "Vaticinatur Esaias de abjecto Messia, ex stemmate Davidico oriundi, statu, nec obscure ad educationem ejus in urbe Nazareth respicere videtur. Propterea appellat eum virgultum abjectum, vile, & contemptibile, quemadmodum ipsi Judæi explicant, qui ea voce utuntur de canistris pauperum, in quibus ponebant primitias, & de canistro mulieris adulterii suspectæ, in quo offerebat munus suum hordeaceum. Matthæus proinde causam indicat, cur Esaias contemptibilem Messia conditionem descripturus, voce Netzer usus sit? Christus nimirum Nazoræus appellandus, & in oppido Nazareth educandus prædicebatur. Veritatis intererat, ut ab Evangelista lectores admonerentur, non fortuito aut casu Nazoræi nomen Christo hæsisse, sed à Prophetis jam olim indicatum esse. Nam infirmiores hoc nomen valdè offendeat, cum Christo nonnisi per contemptum videretur tributum, & Nazareth oppidum vile abjectumque esset, ex quo Messiam nemo expectabat. Jo. I. 47. VII. 52. Tantum igitur abest, ut hoc nomen divinitati Christi nocuerit, ut potius indicio fuerit, & argumento, Jesum Nazarenum verum esse Messiam, utpote à Prophetis olim Netzer appellatum, & in Nazareth, quæ urbs nomen inde habebat, educatum.,,

§. XXII.

TINIUM, SCHINDLERUM, JUNIUM, alios; quibus addendi sunt CHEMNITIUS Harmon. Evang. f. 137. MAJUS in Harmon. Evang. p. 158. 164. BUDDEUS in Instit. Theol. Dogm. p. 782. STOCKIUS in Clave linguæ sanctæ N. T. p. 697. HAMMONDUS ad h. l. f. 11. VITRINGA Comment. in Jes. P. I. f. 300. 309. LAMPIUS in Joh. P. III. p. 598. LEUSDENIUS l. c. p. 167. PASOR Lexic. Græc. Lat. p. 967. 109. WALTHERUS in Harmon. Bibl. f. 486.

82) Esaiæ XI. 1. LX. 21.

83) Observ. Sacr. P. I. Edit. Tert. p. 198. sq.

§. XXII.

Finis hujus expositionis omni laude est dignissimus, docere partim, destinato Dei consilio Nazareni nomen de Messia fuisse jam præ-nunciatum in Veteri Testamento à Prophetis; partim, novum hunc Messiaë characterem distinctivum à loco commorationis ejus, urbe nimirum Nazareth petitum, datum esse à Matthæo. Nec refragabitur ullus, qui Christo nomen serio dedit, Jesaiam C. XI. 1. Messiam nostrum attentioni lectorum sistere, ut surculum, qui ex familia Davidis ortum ducat; quod ipsum de altero dicto Jesaiano C. LX. 21. affirmare nollem. Unde simul occasio suppeditatur, regerendi aliqua huic interpretationi, quæ non nullius momenti esse arbitramur. Scilicet Matthæus urget dictum Prophetarum de Messia vocando Nazareno, & in allata interpretatione unicus Jesaias producit; nisi dicere velis, per enallagen 84) numeri pluralis intelligendum esse numerum singularem. Huic autem regulæ hermenevticæ non multum tribuere videntur fautores hujus sententiæ ipsi, qui, ut Prophetarum numerum pluralem tueantur, in subsidium advocant 85) Jeremiam & 86) Zachariam, quando vocabulo מָשִׁיָּח Messiam designarunt in suis scriptis. Dubito etiam, an à vocabulo Netzer ad 87) Nazarenum firma procedat consequentia, cum

D 2

illud

84) Qualis occurrere dicitur Joh. VI. 45. coll. Jes. LIV. 13. Act. VII. 42. coll. Amos. V. 25. Act. XIII. 40. coll. Hab. I. 5. Act. XV. 15. 16. coll. Amos. IX. 11, 12.

85) C. XXIII. 5. XXXIII. 15.

86) C. VI. non versu 11, ut vult DEYLINGIUS, sed 12. qui & adducere potuisset Zach. III. 8. & Jes. IV. 2. Anceps autem mens hæserit, an ejusmodi vocabulum synonymum animo suo volverit Matthæus, quale est מָשִׁיָּח verba faciens de Jesu Nazareno. Addi meretur Jo. SCHMIDII Diss. de consilio pacis Jehovam inter & virum Zemach ad Zach. VI. 12. 13. p. 13. seqq.

87) Supra enim jam ostendimus, derivationem Nazarethæ à Netzer haud omnibus probari. Esto etiam tantisper, ex parte etymologiæ omnia esse in vado, quid inde? Audiatur Dn. BENGELII in Gnomone N. T. p. 26. data

illud ab ipso Jesaia applicatum fuerit Regi 88) Babylonæ, qui ea-
 propter incola urbis Nazareth non est factus, & Daniel 89) illud
 usurpaverit de gloriosissimo victore, qui cum Nazarethanis nihil ha-
 buit commercii; unde & patuerit, frustra dici, vocabulum Netzer
 de virgulto abjecto & contemptibili semper accipiendum esse. De-
 nique dicta ex Joh. I. 47. & VII. 52. citata, rem non conficiunt. Non
 prius, quia ab ignorantia Nathanaelis ad rei negationem non valet
 consequentia; non posterius, quia ipsomet fatente DEYLINGIO,
 temere & falso Pharisei asseruerunt, ex Galilæa non suscitatum esse
 Prophetam.

§. XXIII.

Rebus ita se habentibus, quidam 90) eruditorum verba con-
 troversa: ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, in scriptis Prophetarum Veteris
 Testa-

instantia: "Christum à Bethlehem exiturum, per Michæam est prædictum:
 Bethlehem à pane nomen habet: panis vitæ Christus. Quis autem eo,
 quod panis vitæ Christus est, Michææ prophetiam impletam esse dixerit?
 Oppidum, ubi natus est Christus, prophetia designatum agnoscimus. Pa-
 ri modo oppidum, ubi idem adolevit, quin etiam solenne cognomen, quod
 inde exstitit, indicatum est, oraculo illo, quoniam Nazareus vocabitur.
 Itaque particula ὅτι, ut solet in testimoniis citandis, præfixa est ab Evan-
 gelista. Quanquam quo tempore floruerit ille propheta, per quem hoc præ-
 dictum est; fueritne unus ex iis, quorum libri in Pandectis sacris exstant,
 quisve alius fuerit? utrum oppidum Nazaret, cujus nulla in V. T. alia sit
 mentio, jam tum aliquo numero fuerit, nec ne? ipsene propheta ille Na-
 zarenus civis fuerit, & insignem hunc versiculum Nazaretæ deposuerit?
 utrum sermone solo, an etiam stilo eum comprehensum posteritati reli-
 querit? unde Matthæus acceperit? quis novit? quid nosse attinet?

88) C. XIV. 19.

89) C. XI. 7.

90) BEZA apud POLUM l. c. f. 63. CLAUDIUS in WOLFII Curis Philol. &

Testamenti non amplius quæsiuerunt, in quocunque etiam sensu nomen Prophetæ accipiatur, sed pro verbis Matthæi ipsius habuerunt. Hinc 91) ALEXANDER MORUS ait: Liceat nobis, novam interpretationis inire viam, ut hæc sit mens: & cum eo venisset, habitavit in urbe Nazareth, sic autem implebitur, quod tam sæpe à variis hinc inde Prophetis prædictum est, de opprobrio ejus: nam ex eo, quod habitavit in urbe Nazareth, fiet, ut ei Nazareni nomen & ab osoribus imponatur, & apud suos hæreat, quo nomine cuncta opprobriorum genera continentur. Hæc igitur verba, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, non sunt alicujus prophetæ veteris verba, sed Evangelistæ Matthæi. Referri enim debent non ad τὸ ῥηθὲν, sed ad πληρωθῆ. Quomodo, quod per Prophetas prædictum est de eo, propterea implebitur, quod habitavit in Nazareth? Quia Nazarenius inde arrepta occasione vocabitur: quo nomine varia variorum Prophetarum implentur vaticinia ac typi. Non igitur mirum, si non leguntur apud aliquem Prophetarum hæ voces, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, cum nullius sint prophetæ, sed Matthæi. Quod clarum erit, si quidem ὅτι quoniam reddideris. Ideo non dixit Matthæus, διὰ τῶν προφητῶν, sed διὰ τῶν προφητῶν, nec διὰ τῶν προφητῶν λεγόντων, ut alibi docet, & quidem bis in hoc ipso capite, sed διὰ τῶν προφητῶν simpliciter. Idem igitur est, ἵνα πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν, & ἵνα πληρωθῆ τὰ ῥηθέντα, quæ nihil opus fuit recitari, cum nota essent, & nimis multa, & apud varios Prophetas; quibus tamen fere omnibus sola Nazareni appellatio, non sine numine Messię indita, respondet.

§. XXIV.

At huic interpretationi, judice 92) OLEARIO, obstat primo futurum

D 3

Crit. ad h. l. p. 46. SURENHUSIUS apud OEDERUM l. c. p. 519. LAUR. RAMIREZ de PRADO & GRUNEBERGIUS laudati à RUSIO Harm. Evang. T. I. p. 283.

91) Commentar. ad Esaia C. LIII.

92) l. c. p. 69. 70.

turum verbi κληθήσεται, quod indicio est, oraculum Prophetæ, de re postea eventura vaticinati, hic allegari. Sane Evangelistam, aliquamdiu post Christi ad Patris dextram exaltationem scribentem, ita potius loqui par erat, si ex MORI mente loqui voluisset, ut impleteretur, quod scriptum est per Prophetas, namque Nazaræus inde vocatus est. Quod si enim vel maxime ad temporum enallagen hic confugere MORUS vellet, imo & ad Ebraïsmum, qui fert omnino futuri pro præterito usum, imo & pro præsentem; nusquam tamen scriptorum nostrorum usum in simili rerum & verborum nexu huic exceptioni favere existimaverim. Nec facile dixerim, ita pergit Vir eruditus, Evangelistam sic loqui, ac si præsens esset rei gestæ, de qua sermo ipsi præcipue est, constitutioni nempe domicilii Josephi apud Nazarenos, adeoque de re negotium istud subsecuta, Christi nempe appellatione loqui in futuro potuisse, quis enim ferret morem illum in historico? quid quod præcedentes aoristi illi reclamare videantur. Deinde MORI interpretationi obstat particula ὅτι, quæ in simili, qua apud Matthæum hoc loco occurrit, constructione semper allegationis indicium est, & in sequentibus ea afferri ostendit, quæ dicta vel prolata fuisse proximè præcedenti verbo innuebantur, nec aliter apud quoscunque alios Scriptores sese res habet, videri possunt loca Matth. V. 27. 28. 31. VII. 23. XIX. 8. 9. XXI. 16. Denique hoc quoque MORO obstat, quod mos Evangelistarum non ferat, provocare ad Prophetarum testimonium, verbis, quibus id continetur, non allegatis. Nec scopo eorum hoc convenit, qui convincere male credulos Judæos istis allegatis oraculis volebant, quod non poterat fieri, testimoniis istis luculenter non allegatis.

§. XXV.

Si quid etiam videmus ipsi, MORUS contra stylum à Matthæo 93) usitatum τὸ πληρωθῆναι vertit in tempore futuro, ut proinde ejus illatio prorsus sit nulla, verba controversa non esse alicujus Prophetæ veteris, sed Evangelistæ Matthæi. Idem supponit, & gratis quidem suppo-

93) C. I. 22. II. 15. XXVII. 35.

supponit, verba nostra difficilia non referenda esse ad τὸ ῥηθέν, sed ad πληρωθῆν, quo pacto rursus modum scribendi Matthæo 94) familiarissimum ignorat. Falsum est porro, Matthæum in capite secundo bis habere διὰ τῶν προφητῶν λεγόντων, quippe qui singularem adhibuit ψ. 15. & 17. qui certe pluralem τῶν προφητῶν in nostro commate non juvat. In minus etiam necessariis hæret MORUS, idem esse, ἵνα πληρωθῆ τὸ ῥηθέν, & ἵνα πληρωθῆ τὰ ῥηθέντα, neglectis argumentis principalibus, Matthæum dedisse testimonium de Messia Nazareno, non Prophetas veteris œconomix. Planior quoque fuisset Matthæi sententia, si pro ὅτι fuisset usurpata locutio quædam illativa διὰ τῆτο, vel huic similis, ut conjectura MORI vel minimam duntaxat nancisceretur speciem.

§. XXVI.

Possent emendari opinio MORI, si quis vel post voces διὰ τῶν προφητῶν contra consuetam interpunctionem admitteret punctum, & particulam ὅτι cum 95) HOMBERGIO abundare statueret, sicque pleonasmos in N.T. 96) occurrentes adaugere vellet; vel per trajectionem totius nostri versiculi hanc ejus adornaret paraphrasin: quia Christus vocabitur Nazareus, ideo cum Josepho, patre suo putatio, habitavit in urbe Galilææ Nazareth, ut impleretur dictum per Prophetas de Messia habitaturo in Galilæa, cujus urbs erat Nazareth. Constat hæc paraphrasis, supposita traiectione verborum, sed paulo duriore, quatuor membris, quæ nemo in dubium vocaverit. Primo, Christus vocatus fuit Ναζωραῖος tam in statu exinanitionis Marc. X. 47. Luc. XVIII. 37. Joh. XVIII. 5. XIX. 19. quam exaltationis, Luc. XXIV. ψ. 19. Act. II. 22. III. 6. IV. 10. VI. 14. XXII. 8. XXVI. 9. Secundo, habitavit in Nazareth, urbe Galilææ juxta versum 23. C. II. Matthæi. Adde ejusdem C. IV. 13. ubi dicitur, quod Servator Nazaretham reli-

94) C. I. 22. II. 15. 17. 18. IV. 14. sqq. VIII. 17. XII. 17. sqq. XIII. 35. XXI. 4. 5.

95) Vid. Parerga sacra ad h. l.

96) Matth. VII. 28. XI. 1. XIII. 53. XIX. 1. XXVI. 1. Act. II. 21. III. 23.

reliquerit; quo ipso ejus habitatio in ista urbe præsupponitur. Tertio, vaticinati sunt Prophetæ, de habitatione Messia in Galilæa Jes. IX. 1. 2. Deut. XXXIII. 18. 19. Ps. LXVIII. 28. in quibus dictis de partibus Galilææ Messia beneficiis beandis agitur, quæ ipsius commorationem, etiam visibilem, in Galilæa involvunt. Quarto, Nazarethum situm erat in Galilæa, Marci I. 9. Luc. I. 26. II. 4. Jo. I. 45.

§. XXVII.

Quare, ut vel tandem finiamus, solo veritatis amore ducti, arbitramur, Matthæum vaticinium de Messia vocando Nazareno per traditionem oralem inter Judæos propagatum, & suo adhuc tempore frequentatum in animo habuisse. Hoc pacto urgemus 97) τὸ ῥηθὲν, ac ne latum quidem unguem ab eo recedimus; ita habemus Prophetas in plurimum numero, qui populo Dei cum aliis Messia characteribus distinctivis etiam habitationem ejus in urbe Nazareth inculcarunt; hac ratione evitamus maxima incommoda, quæ alias premunt, imo opprimunt interpretationes; ita ex eodem fonte derivamus nostram allegationem in Veteri Testamento nullibi exstantem, ex quo similes 98) citationes in Novo Testamento occurrentes repeti debent; hoc modo eventus cum prædictione consentit; ita denique ex hac difficultate se extricarunt 99) CALOVIVS, 100) RUSIUS, 101) CARPZOVIVS, 102) RUM-
PÆ

97) Eruditè nonnemo: Si τὸ λέγειν, quod alibi etiam connotat scriptionem, aliquando ita usurpatur, ut scriptum non involvat, quemadmodum fit epistola Judæ ψ. 14. ubi ad Henochi vaticinium, nullibi in sacris descriptum, provocatur; item, si τὸ εἶπε non minus in prophetarum etiam scriptis allegandis frequens, de dicto, non autem scripto adhibetur, Act. XX. 35. quare non etiam τὸ ῥηθὲν eodem in sensu accipi posset?

98) Act. VII. 30. XIII. 20. 2. Tim. III. 8. Jud. ψ. 14. 15.

99) l. c. f. 459. sq.

100) Harmon. Evang. T. I. p. 283. sq.

101) Critic. S. V. T. p. 121.

102) Commentat. Critic. ad Libros N. T. in genere, p. 451. sq.

PÆUS, 103) WEGNERUS, 104) GEORGIUS, 105) HEYDENIUS, 106) BENGELIUS; ex parte accedentibus 107) WOLFIO, 108) DEY- LINGIO, 109) GOMARO.

§. XXVIII.

Atque ita huic dissertationi colophonem imponere possemus, nisi prius solvendæ adhuc essent quædam objectiones, nostræ interpretationi non sine omni veri specie obmotæ. Regerit 110) OEDERUS, formulam allegationis à Matthæo usurpatam ubique citra controversiam verba laudare ex Veteri Testamento, ut proinde & verba: *ὁ Ναζωραῖος κληθήσεται*, in Veteri Testamento sint quærenda. WITSIUS 111) arbitratur, Matthæum non uti testimonio, quod *ἀγρα φον* & *ἀδελον*, adeoque exigui ponderis sit. Idem 112) urget, Scribas & Phariseos ignorasse, Jesum vocandum esse Nazarenum, & habitaturum in urbe Nazareth. SPANHEMIUS 113) argutatur, verba non esse vexanda, sed mentem & stylum sacrorum scriptorum attendendum, à quibus constet, promiscuè adhiberi phrases illas, hoc dictum esse, vel hoc scriptum esse. Imo & periculosa videri, posset nostra opinio in ordine ad traditiones Ecclesiæ Romanæ non scriptas, quas pari cum

E
ver-

103) Hujus consensum laudat WOLFIIUS in curis adh. l. p. 45.

104) Diss. de fuga, reditu, ac baptismo Christi p. 34.

105) Disquisit. Theol. Crit. de Mosis resuscitatione p. 28.

106) Gnom. in N. T. p. 27.

107) l. c. p. 48.

108) Observ. S. P. I. p. 197.

109) Adh. l.

110) l. c. p. 520. ubi provocat ad Matth. I. 22. II. 15. 17. IV. 14. VIII. 17. XII. 17. XIII. 35. XXI. 4. XXVII. 35.

111) Meletem. Leidens. p. 275.

112) Libro & pagina modo citatis, ubi affert ex Joh. VII. v. 41.

113) Dub. Evang. P. II. p. 588.

verbo scripto pietatis affectu & reverentia suscipiendas esse Concilium 114) Tridentinum dicitur.

§. XXIX.

Profert quidem OEDERUS multa dicta, à Matthæo ex Veteri Testamento citata, quæ ex eorum genere sunt, quæ & dicta & scripta sunt; quorum vero nostra allegatio referri nescit, quippe quæ saltim dictum Prophetarum, non scriptum eorundem simul exhibet. Fallit autem simul OEDERUS, formulam allegationis à Matthæo adhibitam, ubique innuere dicta scripta, in codice Veteris Testamenti exstantia, cum 115) Matth. V. 21. & XXVII. 9. 116) τὸ ῥηθὲν habeatur de talibus, quæ scripto non extabant. Conf. Eph. V. 14. & ad hoc dictum CRUSII, Theologi Gœttingensis, Dissertationem de Resurrectione Spirituali, qui, quod miror, p. 11. allegationem Pauli ex Esaia C. LX. I. depromptam esse contendit.

§. XXX.

WITSIUS, cujus scripta alias magni æstimamus, hac vice remacu non tetigit. Magna quippe est differentia inter testimonium ἀγραφον & ἀντίγραφον, quorum illud per exempla 117) superius allata haud exigui est ponderis; ut non videamus, cur testimonium ἀδηλον Viro docto adeo fuerit molestum; qui in casu simili ex traditione Judæorum 118) orali ipsemet omnem litem hermenevticam, & rectè quidem, composuit. Si etiam WITSII ratio premenda esset, Paulus testimonia
exi-

114) Sessione Quarta, Editionis Leodiensis p. 33. 34.

115) Christus ibi se non Mosi, sed sinistra illius interpretationi à Scribis & Pharisæis excogitata, opponit, eandemque corrigit. Quin & RUSIUS l. c. p. 284. ex Matth. V. comma quoque quadragesimum tertium huc trahit.

116) Vid. Diss. nostra ad h. l. p. 21, seqq.

117) Nota 98. & §. XXIX.

118) Vide WITSII Commentar. in Epistolam Judæ, §. XLI. in quo vaticinium Enochii ex nota & confessa eo tempore traditione Judam Apostolum habuisse arbitratur.


exigui duntaxat ponderis protulisset Act. XVII. 28. 1. Cor. XV. 33. Tit. I. 12. utpote quorum authores fuerunt certe viri antiscripturarii, quod ego asseverare nollem. Ita & minus providè urget WITSIUS Joh. VII. v. 41. quia ibi de loco nativitatis Messiae sermo est, & negatur, Christum ex Galilæa ratione nativitatis prodire debuisse, non de loco educationis, qui situs erat in Galilæa.

§. XXXI.

Soli meridiano obloquitur SPANHEMIUS, verba non esse vexanda, cum tamen à proprietate literæ sine urgente necessitate non sit recedendum. Nobis favet τὰ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, quod sartum tectumque manere debet, donec explicatio nostra expositione melior allata fuerit. Neque capimus, cur Viri eruditi à traditione Judæorum orali animum tantopere abstrahant, ex qua ipsi Scriptores 119) V. T. sequiores quandoque aliqua citarunt; ut alienum videri haud debeat, scriptorem N. T. canonicum eadem via incessisse. Sibi etiam haud plenè constare videtur SPANHEMIUS, asserens, verba non esse vexanda, & tamen stylum sacrorum scriptorum esse attendendum. Ex hac attentione ad stylum sacrorum scriptorum ex antecedentibus clarissimum est, non promiscuè adhiberi phrasas: hoc dictum esse, hoc scriptum esse.

§. XXXII.

119) Hinc HEYDENIUS l. c. p. 27. scripsit: Israelitas in Ægypto ante exitum idololatrias crimine sese polluisse non ex Mose, sed ex Ezechiele cognoscimus. Cap. XX. 7. 8. Neque Moses nobis quidpiam de idololatria parentum Abrahami retulit; ex ultimis Josuæ verbis hoc demum deprehendimus C. XXIV. 2. Quis quoque ex Mose didicisset, Israelitas in deserto infantes suos Molocho combussisse. Sed hoc clarissime & Amosus C. V. 26. & Ezechiel C. XX. 31. & Stephanus Act. VII. 43. iisdem exprobrat. Adde WITSII Diss. de Cultu Molocho §. VI. seqq. & PFEIFFERI Dubia Vexata p. 833, seq. Ulterius progreditur HEYDENIUS, inquires: Neque Noachum præconibus veritatis inseruissemus, ob Mosis silentium, nisi Petrus disertis verbis 2. Ep. II. 5. eundem justitiæ præconem vocitasset; qui & nonnullis interjectis addit: arcam fœderis in destructione Hierosolymæ, per Nebucadnezarem facta, periisse, conjecturis quidem haud fallacibus assequimur;




§. XXXII.

Videtur saltem opinio nostra affinitatem habere cum traditionibus Romanensium non scriptis, quæ revera toto cœlo ab hisce distat. Nam 120) vaticinium nostrum orale, etsi ἀγγραφὴ fuerit ante canonem Novi Testamenti, tale tamen non semper mansit, sed per Matthæum canoni insertum ἐγγραφὸν nunc est, atque certitudine divina gaudet, postquam ex immediata Spiritus Sancti inspiratione textui sacro additum est. Cum Pontificiis vero disputatio de talibus instituitur 121) traditionibus, quæ post clausum canonem Scripturæ Sacræ in Ecclesia superent, nec in ulla Scripturæ canonicæ parte reperiantur, quales sunt de septem Sacramentis N.T. propriè sic dictis, de immaculata conceptione Mariæ, de transubstantiatione, de sacrificio Missæ, de expositione, de circumgestatione & adoratione Eucharistiæ, de concomitantia sacramentali, de oblatione pro defunctis, de purgatorio, de calice eucharistico aqua miscendo, de signo crucis, de jejuniis, de consiliis evangelicis, de confessione auriculari, multæque aliæ, à Theologis Protestantibus sub incudem revocatæ; à quibus animum nos abstrahimus, ne μεταβάσιν εἰς ἄλλο γένος committere videamur. Placent verba HIERONYMI: OMNES ECCLESIASTICI QUÆRUNT, ET NON INVENIUNT, UBI SCRIPTUM SIT, QUONIAM NAZARÆUS VOCABITUR.

sed nullibi verbo ejus rei meminerunt sacri Scriptores. Tacemus plura à viro erudito data, de quibus æque ac de his plenissimam reddere valebit ipse rationem.

120) Vid. CALOVIVS l. c. f. 160. & CHEMNITII Examen Concilii Tridentini P. I. f. 61, seqq.

121) Plenius istas enarravit Reverendiss. Dn. Cancell. PFAFFIUS in Dissert. Polemica de Traditionum non scriptarum speciebus, valore, certitudine, autoritate, momento & pondere p. 17, seqq. Adde Summè Reverendi D. D. WEISMANNI Grund-Lehren der Evangelischen Religion p. 43, seqq. & LUCÆ OSIANDRI Enchiridion Controversiarum cum Pontificiis p. 19.



Coll. diss. A. 207, msc. 4